

Michael Falck Nicolaus Maschovius

Disputatio Physica De Generatione Et Corruptione, In Communi Ad Mentem Aristotelis

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730223345>

Druck Freier  Zugang



RU phil 7647

Michael Falck

Nicolaus Marlow

D. T. O. M. A.
DISPUTATIO PHYSICA
DE
GENERATIONE
ET CORRUPTIONE,

In Communi

AD MENTEM ARISTOTELIS

Quam

Consensu & Autoritate Amplissimæ

Facultatis Philosophicæ

IN CELEBERRIMA ACADEMIA

ROSTOCHIENSI,

SUB PRÆSIDIO

M. MICHAELIS *Kalcken*/

Dantiscani,

Publicæ ventilationi subijcit

NICOLAUS MASCHOVIUS

Gryphisvv, Pom.

AUTOR ET RESPONDENS.

In Auditorio Majori die 21. Augusti

Horis matutinis.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno M. DC. XLVII.

11
88

D. P. O. N. A.
 DISSENTATIO PHYSICA
 DE
 GENERATIONE
 ET CORRUPTIONE
 AD MENTEM ARISTOTELIS
 Auctore
 GONZALEZ ARBOREAE APOSTOLICAE
 FACULTATIS PHILOSOPHICAE
 IN STELLERAMA ACADEMIA
 ROSTOCKENSIS
 ANNO 1750
 M. MICHAELIS
 Dantiscanus
 NICOLAUS MASCHOVITZ
 Cöppelii, Boni
 ALTOR ET RESPONDENS
 ACADEMIAE ROSTOCKENSIS
 ANNO 1750
 ROSTOCKII
 Typographi Rostockenses



Σὺν τῷ Ἰεῳ,

THESIS I.



Enerationis & Corruptionis (quæ Graecis γένεσις & Φθορά dicitur) vox latè accepta, & substantiis, cum naturalibus, tum artificialibus, & accidentibus quoq; tribuitur; quicquid enim quovis modo fieri vel oriri, interire vel corrumpi dicitur, ei suo modo generatio seu γένεσις & corruptio competit. Sed nos hîc de generatione & corruptione natural i, h. e. eorum, quæ naturâ fiunt & corrumpuntur, solliciti sumus. Ubi quædam dicuntur generari & corrumpi simpliciter & absolute, ut substantiæ compositæ, lapis, planta, animal, &c. (substantia enim ut simpliciter est, ita quoq; simpliciter fieri & interire dicitur) quædam secundum quid, & cum addito, ut cum calor vel color generari dicitur, in subjecto scil: vel potius calidum vel caloratum, ut subjectum involvatur, *Conf. l. 1. de gener. & corr. c. 3. l. 1. phys. c. 7.* Ita formæ rerum fiunt in materiâ, simpliciter autem fieri dicuntur composita. Nobis verò de generatione & corruptione simpliciter ita dictis hâc vice sermo est.

II. Dari in naturâ generationes & corruptiones rerum, sensus & experientia quotidiana evincit, sive simplicia, sive mixta, sive in aere, sive in aquâ, sive in terrâ nascentia, sive animata, sive inanimata spectes, *Conf. l. 3. de cælo c. 1. & l. 1. de gener. & corr. c. 1.*

III. Generatio & Corruptio sunt mutationes. Cum autem tria sint mutationum genera, *l. 5. phys. c. 1. & l. 11 (13.) met. c. 10.*: 1. è subjecto in subjectum. 2. è subjecto in non subjectum. 3. è non subjecto in subjectum; Generatio est mutatio è non subjecto in subjectum, & quidem simpliciter dicta è non subjecto in subjectum simpliciter, h. e. ex eo, quod non est substantia in substantiam. Corruptio autem est mutatio è subjecto in non subjectum & quidem simpliciter dicta, ex substantia in id quod non est substantia, quæ fuit.

IV. Generatio & corruptio non sunt motus accuratè loquendo,

A 2

(quam-

(quamvis Author Categoriarum inaccurate, c. 14. motibus eas connumeret.) Omnis enim motus est mutatio è subjecto in subjectum, ut inductione manifestum, *V. loc. th. 3. cit.* & quod movetur, id jam est, quod enim non est, nec moveri potest, nec quiescere: quod autem generatur, non est, antequam generetur, quamvis esse possit, E. nec movebitur, & per consequens generatio non erit motus. Adde quod omnis motus successivè fiat, generatio autem & corruptio fiunt in instanti *ἐν ἀτόμῳ l. 6. phys. c. 5.* Vide plures rationes ap. Aristotel. d. l. Quod si autem generatio non est motus, nec corruptio ejus oppositum erit motus, alias corruptionis oppositum generatio, esset motus vel quies: motui enim motus vel quies opponitur. Motus quidem antecedit generationem & corruptionem, ipsa verò absolute considerata non sunt motus, nisi quis generationem & corruptionem pro alterationibus & augmentationibus vel diminutionibus eas præcedentibus accipiat.

V. Generationem esse mutationem (naturalem) à non esse ad esse (simpliciter) seu ab eo quod non est, ad id quod est simpliciter: Corruptionem verò esse mutationem (naturalem) ab esse ad non esse, seu ab eo, quod est simpliciter, ad id quod non est, per universalem & immotam inductionem omnium generationum & corruptionum naturalium manifestum est, & si rectè explicetur, nihil falsi vel absurdi continet, sed ad dissolvendas rationes Veterum, generationem & corruptionem negantium, plurimum conducit, ut ex *l. 1. phys. c. 8.* patescit.

VI. Ex non ente privativo, seu ex eo, quod non est tale quid, sed potest fieri tale quid, per naturam aliquid generari, & in non ens privativum seu in id, quod fuit tale quid, jam autem non est tale quid, per corruptionem res resolvi, infallibilis inductio probat. Neq; enim ex non ente simpliciter (nihilo) aliquid, nec ex quovis quodvis fit. Adeoq; in omni generatione tria occurrunt, materia seu commune generationis subjectum, privatio in materiâ (quæ & formæ recipiendæ absentiam, & eam recipiendi aptitudinem involvit) & forma rei genitæ. Generari enim dicitur, quod ex aliquo (innuitur materia) quod nondum est tale quid, sed potest fieri tale quid (innuitur privatio) fit tale quid (innuitur forma) Atq; hoc est quod *l. 1. phys. c. 7.* docet Aristoteles, tria esse generationis principia, materiam privationem & formam, quæ numero quidem duo tantum sint, ratione autem tria (quia materia duplicem subeat rationem, unam quatenus est commune generationis subjectum, alte-

alteram, quatenus nondum est, sed esse tamen potest id quod exinde fieri debet, adeoque privationem includat) duo per se, tertium per accidens, duo constituentia vel componentia rem genitam, tria verò generationis principia.

VII. *l. 1. de generat. & corr. c. 4.* non definitur distinctè generatio, sed saltem quomodo & generatio & corruptio ab alteratione differat. ostenditur, quod scilicet tum generatio tum corruptio talis sit mutatio totius, ut nullum sensibile, et tanquam idem subiectum, remaneat. In alteratione verò idem sensibile subiectum permanens secundum qualitates saltem mutetur. Unde verba illa pro definitione generationis venditari non debent.

VIII. Generatio & corruptio sunt contraria sub eodem genere. Non igitur videtur probè definire, qui generationem per actionem, corruptionem autem per passionem definit. Tam generatio quam corruptio potius respectu ejus quod generatur & corrumpitur, ut subiecti, quam respectu generantis vel corruptentis, à quo saltem ut à causa efficiente est, definienda erit. Sicut motus non respectu moventis sed mobilis, ut sui subiecti, definitur. At si generatio per actionem definiatur, agentis saltem respectu definitur, nam quatenus ei, quod generatur competit, non erit actio sed passio: melius Aristoteles utramque per mutationem definit.

IX. Formalis generationis ratio non consistit in *συνερισθ* & *ἀφαιρεθ* atomorum actu in rebus præexistentium. Sic enim generari nihil aliud erit, quam ejusdem generis atomos v. g. ligneas, carneas &c. congregari, & corrumpi nihil aliud erit, quam atomos istas rursus disjungere & separari, sine ullà essentiali mutatione interveniente, quæ tamen ipsam generationis & corruptionis naturam & essentialiam constituit. Atque hinc est, quod contendit Philosophus passim tum in libris de celo, tum de gener. & corr. antiquos Philosophos per *συνερισθ* suam & *ἀφαιρεθ*, ipsas rerum generationes & corruptiones è medio sustulisse. Quos sequuntur, qui hodiè nihil perire docent, saltem solvi & dissipari, quæ antea miro foedere coheræxerant. At verò, sic nulla erit corruptio, & per consequens nulla quoque generatio, sed hæc saltem nobis ita apparebunt, quæ est ipsa Veterum, ab Aristotele refutorum, sententia.

X. Non satis physicè dicitur, generationem consistere in actu

uniendi, quo forma uniat^r materiae. Perindè ac non satis accuratè diceretur, quando globus æneus vel calceus formatur, figuram sphaerae æri, vel formam calcei corio uniri: uniri enim vulgò ea dicuntur, quorum utrumq; extra unionem existere potest: forma autem extra materiam non subsistit, ut uniri ei possit; quatenùs tamen fit forma in materiâ, ac cum eâ unum per se, & compositum constituit, eatenùs unio quædam latè & improprie dicta hîc concedi potest, cum unitas & compositio unionem quodammodo subinferant.

XI. Compositum generatur & corrumpitur, ut ignis planta, caro, animal, *l. 1. phys. c. 7.* sicut & in artificialibus statuam & domum fieri ac destrui dicimus: forma non simpliciter est, nec fit, nec corrumpitur, sed est in materiâ, ut subjecto, & fit atq; interit in materiâ: nec materia simpliciter est, aut fit vel corrumpitur, sed ex eâ aliquid fit, & in eam aliquid corrumpitur, estq; in composito ut subjectum formæ: quamvis certum sit, in omni generatione & corruptione formam substantialem mutari, generatio tamen & corruptio toti composito tribuitur. Hinc non sufficienter rem explicant, qui generationem formæ substantialis productionem, & corruptionem, ejusdem destructionem definiunt, nam cum planta aut animal generatur, non forma tantum seu anima generatur, sed corpus animatum, compositum vivum, &c.

XII. In omni generatione aliquid manet, commune scil: subjectum, seu materia, aliquid interit in materia, forma scil: contraria, (quæ respectu formæ rei generandæ privationis rationem habet,) aliquid fit in materiâ, forma scil: rei genitæ. Unde qui formas rerum generandarum in materiâ actu præexistere, (v. g. animam canis in semine canis actu esse) docent, generationes rerum debito modo explicare nequeant. Sufficit in materiâ esse potentiam, ut exinde tale quid, sive animatum sit, sive inanimatum, fieri possit, quæ materiae potentia ad ipsam rationem & essentiam materiae, qua talis, spectat, ut non necesse sit quaerere, an potentia illa materiae accidens sit an substantia, dum enim materiam dicis, tale quid dicis, ex quo res fieri potest, ubi in ipsâ definitione potentia illa ad recipiendam formam includitur.

XIII. Sicut melius quaeritur, quomodo ignis generetur, quam quomodo calor in igne generetur, (nam dum ignis generatur, calidum quid generatur, neq; enim calor igni jam genito supervenit, & qui ignis generationem novit, eo ipso caloris in materiâ generationem percipit.)
ita

ita melius quæritur: quomodo planta vel animal, seu animatum generetur, quam quomodo anima generetur, neque enim corpus plantæ vel animalis seorsim generatur, ut huic jam genito superinducatur anima, sed anima cum corpore & in corpore generatur, sive potius corpus animatum generatur, aliàs enim planta vel animal nunquam poterit dici generati.

XIV. Sicut quando ignis exstinguitur, calor interit, hoc est esse definit in materiâ, ita quando res genita corrumpitur, forma (materialis) interit, i. e. esse definit, quod si per corruptionem in materiâ interire potest, quid obstat, quo minus per generationem in materiâ fieri poterit, quamvis antea actu ibi non existerit, sed tantum potentiâ.

XV. Non mista tantùm generantur & corrumpuntur, sed & simplicia sive elementa, probante Aristotele *l. 3. de caloc. 6 & lib. 2. de gen. & corr. c. 4.* quod præpmissis in igne patet, quem gigni etiam sensus ipse comprobat, eundemque corrumpi duobus modis videmus, nam & à contrario exstinguitur, & à seipso marcescens *d. l. de celo & l. de vitâ & moyse c. 5.* Dupliciter autem generantur elementa, 1. ex mistis, quando hæc in illa resolvuntur. 2. ex se invicem, Dupliciter item corrumpuntur, 1. in misti constitutione, 2. quando unum destruit alterum, & in suam naturam convertit. *Conf. Diss. Pres. de mutuâ elemens. transmut.* Et qui formalem rationem corruptionis in resolutione in minima ponit, necessariò concedat oportet, elementa corrumpi, si quidem ea in minima resolvi ipse asserit: quod si per istam resolutionem corrumpuntur, nonne per congregationem minimorum rursus generabuntur?

XVI. Unius generatio est alterius corruptio, & vice versâ *l. 1. de gener. & corr. c. 3.* Nihil enim generatur, nisi simul aliud corrumpatur, & nihil corrumpitur, nisi aliud quid simul generetur. Unde perpetuitas generationum & corruptionum perstat. Quamvis autem hæc invicem conjuncta sint, dicitur tamen simpliciter generatio, (non corruptio) quando ex deteriori fit melius, ut ex semine planta, vel animal: & corruptio simpliciter (non generatio) quando ex meliore fit deterius, ut ex planta vel animali pulvis & cinis.

XVII. Primas generationes ex primâ materiâ, & ultimas corruptiones in primam materiâ (quæ est ipsa elementorum materia) fieri, omninò dicendum est, nisi quis in causis processum in infinitum admittere, & generationes à primis & simplicibus ad magis composita & mista pro-

sta procedere, corruptiones autem à magis compositis & mixtis ad simplicia & prima progredi, negare velit. Et qui secundas concedit materias, quomodo negabit primam, cum secundum non nisi primi respectu dicatur, & in quo genere datur secundum, in eodem quoque primum dari oporteat. Quod si ergò in genere materialium datur secunda, in eodem quoque dabitur prima, & quidem in rerum naturâ existens, ut secunda, alias non erunt ejusdem generis, sed una erit realis, altera saltem intentionalis.

XVIII. Corruptio, quatenus est à causis naturalibus, omninò potest dici naturalis, quatenus verò per eam natura ejus, cui competit, destruitur, non meretur naturalis appellari, imprimis corruptio simpliciter ita dicta.

XIX. Natura per se non agit rei corrupendæ, sed generandæ gratia: Ergò per se non intendit corruptionem, sed in generatione simpliciter per se intendit generationem, corruptionem saltem per accidens, quia cum generatione necessariò est conjuncta: Corruptio autem simpliciter dicta non intenditur à naturâ, sed fit propter materiam: sicut vas vitreum ob materiæ fragilitatem frangitur.

XX. Quicquid per naturam est genitum, per naturam quoque est corruptibile, non enim est in causis naturalibus tanta vis, quâ possit id, quod per naturalem generationem ortum est, ab interitu vindicari, & in perpetuum conservari.

XXI. Corruptibile esse, est de essentia rerum corruptibilium, per quod toto genere differunt ab incorruptilibus *l. 10. met. 6. ult.* adeoque corruptibilitas est ab iis inseparabilis.

XXII. Quicquid est in genito, id actu fuisse in materiâ, ex qua est genitum: & in quod aliquid resolvitur, illud actu in re illâ fuisse, vel ex eo etiam rem factam esse, ut actu in re factâ manserit, Empedocleæ Philosophiæ (quam Philosophus balbutienti similem dicit *l. 1. Metaph. 6. 7.*) sunt principia, quæ ad Lydium inductionis lapidem examinata, falsa esse deprehenduntur.

XXIII. Potest eadem numero qualitas manere in genito, quæ fuit in eo, ex quo est genitum, quia materia communis, qualitatis illius subjectum eadem numero permanet. *Conf. l. 1. de gen. & corr. 6. 4.*

XXIV. Quod per naturam corruptum est, idem numero naturaliter redire non potest, quamvis idem specie redire, queat, *l. 2. de gener. & corr. 6. ult.*

XXV. Non

XXV. Non necesse est, in omnibus generationibus rerum naturalium generans esse idem specie simpliciter cum genito, quâ ratione equus generans cum equo genito, canis cum cane, homo cum homine idem est specie: neque ad omnem generationem viventium necessario requiritur, ut ex femine ejusdem specie generantis res fiat. Contrarium enim manifesta inductio per omnia rerum naturalium generabilium genera probat, sive elementorum, sive meteororum, sive mineralium, metallorum, lapidum, sive plantarum & animalium, multas imò quam plurimas generationes exactè quis perpendat. Non itaq; asserendum videtur, omnem generationem simpliciter esse univocam, nullam verò æquivocam, ut loquuntur. Exempla generationum æquivocarum discursus suppeditabit, præstat enim hîc nihil, quam pauca de his dicere.

XXVI. Neq; sententia de generatione æquivocâ, effectui particulari causam universalem & remotam saltem (illius scil. effectus ratione) tribuit. Non enim ad cælum & solem hîc tantum respiciendum, sed potius ad Spiritum sive aerem calidum, & temperatum, qui materiæ, ex qua tale quid generatur, inclusus, quod in eâ bonum, & generationi aptum est, ita elaborat, ut inde aliquid etiam vivum, (si materia id patiat, & calor sit vivificus) producat, quod in stercorebus, cadaveribus, carne, lardo, caseo, frumento, nucibus, pyris, pomis, arborum & plantarum foliis, aliisq; manifestum est. Qui Spiritus, quamvis à cælo & sole calorem originaliter habeat, tamen quatenus huic vel illi materiæ particulari intrinsecus est, particularis, determinatæ & proximæ causæ rationem obtinet, nec propinquior causa hîc dari potest.

XXVII. Omne quod animam & vitam, seu potius vivum quid producit, ipsum quoque animâ & vitâ præditum esse, non magis necessarium est, quàm omne, quod sanitatem producit, ipsum quoque in se sanum esse. Non enim quicquid est in effectu, statim necessum est ut sit in causa subjectivè & formaliter, (aliàs Sol & durus erit, & mollis, siquidem in luto duritiei, in cerâ mollitiei causa est) sufficit si sit in eo efficienter, hoc est, ut ab eo produci possit. Unde solis calorem temperatum omninò esse vitalem, experientia testatur, si modo aptum & conveniens subjectum nactus fuerit, quamvis nec sol nec calor, qui est à sole, formaliter vivus sit.

XXVIII. Qui exile quoddam gramen, vermiculum aut pediculum Sole & Lunâ præstantiora statuit, quod illa animata sint, hæc animâ de-

B

stituta

fituta, non manet in eodem genere, adeoque ea quæ sunt diversissima & toto genere distincta, ratione præstantiæ inter se comparat, ac corruptibilia incorruptilibus, terrestria cælestibus præfert. Cur verò non pari ratione homini muscam quis prætulerit, quod hæc alis instructa sit, quibus in sublime ferri possit, cum ille his destituatur? &c.

XXIX. Generatio & corruptio quomodo à motu differant, patet ex th. 4. Omnis scilicet: motus est è subjecto in subjectum; generatio autem est è non subjecto in subjectum, corruptio è subjecto in non subjectum. *V. d. l.* Differt generatio & corruptio ab alteratione in specie: per alterationem enim, manente eodem sensibili subjecto res secundum qualitates saltem mutatur, v. g. ex calido in frigidum, ex humido in siccum, & vice versa: Per generationem autem & corruptionem eorum mutatur, ut sensibile quicquam, tanquam idem subjectum, non remaneat (quamvis materia intelligibilis seu commune subjectum omnino remaneat) *veluti cum ex toto semine sanguis, aut ex tota aqua aer, ex aere tota aqua fit: Maxime verò, si ex insensibili ad id quod aut tactu, aut omnibus sensibus sensibile est, mutatio fiat, aut contra, ut cum ex aere gignitur aqua, aut eadem in aerem contrahitur: aer enim propemodum insensibilis est.* Sunt verba Philosophi *l. 1. de gen. & corr. c. 4. conf. Th. VII.*

XXX. Differt generatio & corruptio ab augmentatione & diminutione seu accretione & decrectione, 1. Objecto seu termino: illæ enim sunt circa substantiam, ex substantiâ scilicet potentiâ, ad substantiam actu, & ex substantiâ actu ad non substantiam. Hæ verò sunt circa quantitatem seu magnitudinem (sicut alteratio est circa qualitatem) 2. Ipso mutationis modo: Quod enim generatur vel corrumpitur, (itemque quod alteratur) necessario locum mutare animadvertitur, non quidem eo modo, quo id quod motu locali movetur, hoc enim totâ mole locum mutat, vel in eodem loco secundum partes movetur, ut globus, sed ut quod distenditur, & contrahitur, ampliorem vel minorem locum sortitur. Accretio itaque quæ talis non est generatio (quamvis cum accretione sit conjuncta generatio quædam) quod enim generatur nondum est, quod verò augetur, jam est. Uno verbo: caro v. g. quæ fit, generari dicitur, caro autem quæ jam est, & major fit, augeri dicitur. *V. Aristot. l. 1. de gen. & corr. c. 5.*

XXXI. Omnis mistio naturalis est generatio (dicitur verò mistio ratione eorum, quæ miscentur, generatio autem, respectu illius, quod fit ex

fit ex mistis) sed non omnis generatio est mistio, ut elementorum & animatorum generationes: animatum tamen fit ex misto, tanquam materiâ. *Conf. l. 1. de gener. & corr. c. 10.*

XXII. Aliud deniq; est generatio, aliud creatio, quam fide tenemus, sive primam sive secundam creationem (ut distinguunt) intelligas. Prima enim & immediata creatio est ex nihilo per extraordinariam Dei potentiam: Generatio verò omnis requirit materiâ, ex quâ res fiat. per naturam. Secunda verò & mediata creatio, quamvis analogiam, quandam cum generatione habeat, cum utraq; sit ex materia, differe tamen ab hâc, quia hâc habilem & dispositam materiâ, debitas alterationes, justum tempus &c. postulat, & secundum ordinariam naturâ rursus expeditur: in illâ verò talia non reperiuntur. Similiter corruptio ab annihilatione differt, quod illa per naturam fiat in materiâ quandam remanentem; per hanc verò res planè in nihilum, & quidem secundum extraordinariam Dei potentiam redigatur.

COROLLARIA.

1. Commune pronunciatum: Sol & homo generant hominem apud Aristotelem eo sensu non reperitur. Locus *l. 2. phys. c. 2.* corruptus, ita restituendus est: *ἄνθρωπος ἔκ τινος ἀνθρώπου γιννᾶ ἐξ ὕλης, καὶ ἡλιου*: h. e. Homo hominem generat ex materia, & sol (scil. quoq; generat ex materiâ.) Qui sensus Aristoteli d. l. conformis videtur.

2. Per combustionem mistum omninò in ignem & cineres, qui antea actu in misto non erant, convertitur.

3. Unde aliquid quocunq; modo est, fit, vel cognoscitur, sive per se sive per accidens, id principii rationem obtinet, sive per se, sive per accidens, *l. 4. (5.) met. c. 1.* Et ex quo aliquid quocunq; modo fieri dicitur, id materiale principium dici potest. E, & privatio.

4. Etiam

4. Etiam quædam privatio contrarium dicitur, & omnis contrarietas privationem infert, *l. 10. met. c. 4. l. 11. (13.) met. c. 11. l. 5. phys. c. 2. l. 2. de calo c. 3. l. 2. de gen. & corr. c. 5. l. 3. de anim. c. 7.*

5. Etiam privatio est quædam contradictio, quamvis non absolutè talis, quæ medium non agnoscat, *l. 10. met. c. 4.*

6. Quando ex non ente dicitur res generari, non intelligitur tale quid, quod non est, nec esse potest, neq; nihil purè negativum, ut loquuntur Scholastici; sed non esse significat non actu esse, esse tamen potentiâ, & non ens dicitur, quod non est actu, potest tamen esse.

7. Quando ex eo quod est, in id, quod non est, corruptio procedere dicitur, non esse significat, non esse, actu tale quid, sed fuisse tale quid actu, quamvis non sit prorsus nihil, sed aliud quid actu.

8. Adeoq; ex non ente privatio (quod non habet formam, sed aptum est eam recipere) naturalitèr aliquid generatur, & in nonens privativum (alio sensu h. e. in id quod habuit formam, jam autem eâ caret) naturalitèr aliquid corrumpitur.

9. Ex materiâ res fieri tanquam subjecto, & in materiam tanquam subjectum per corruptionem resolvi, non repugnat ei, quod dicitur, generationem esse mutationem ex non subjecto in subjectum, & corruptionem ex subjecto in non subjectum: materia enim hæc consideratur, non quæ tale vel tale ens est, sed quatenus est non ens, scil. illud quod exinde fieri debet, vel quod erat, antequam corrumperetur. Clarius: quod generatum est, antea non fuit, (nisi potentiâ) jam autem est (actu), quod corrumpitur, jam non est (actu), antea autem fuit (actu).

TANTUM.

fit ex mixtis) sed non omnis generatio est
animatorum generationes: animatum tamen
materiâ. *Conf. l. 1. de gener. & corr. c. 10.*

XXII. Aliud deniq; est generatio, ali-
mus, sive primam sive secundam creationem
Prima enim & immediata creatio est ex nihil
potentiam: Generatio verò omnis requiritur
per naturam. Secunda verò & mediata cre-
quandam cum generatione habeat, cum
tamen ab hâc, quia hæc habilem & dispositi-
rationes, justum tempus &c. postulat, & sec-
rursus expeditur: in illâ verò talia non repe-
ab annihilatione differt, quod illa per natu-
dam remanentem; per hanc verò res plane
cundum extraordinariam Dei potentiam re-

COROLLARIA

1. Commune pronunciatum
runt hominem apud Aristotelem
tur. Locus *l. 2. phys. c. 2.* corruptus.
ἀνθρώπων ἐκ ἀνθρώπων γιννᾶ ἐξ ὕλης, καὶ
hominem generat ex materia, & so-
ex materiâ.) Qui sensus Aristote-
detur.

2. Per combustionem mistum
cineres, qui antea actu in misto na-
tur.

3. Unde aliquid quocunq; modo
scitur, sive per se sive per acciden-
nem obtinet, sive per se, sive per ac-
c. 1. Et ex quo aliquid quocunq; modo
materiale principium dici potest, Et

mentorum &
, tanquam

am fide tene-
nt) intelligas,
dinarium Dei
quâ res fiat.
analogiam,
teria, differe
debitas alte-
rium naturæ
er corruptio
eriam quan-
t quidem se-

no gene-
n reperi-
ndus est:
. Homo
; generat
ormis vi-

ignem &
onverti-

l. cognos-
pii ratio-
(s.) met.
scitur, id

4. Etiam

